Quelle: http://manuscripta.at/?ID=31626
Copyright: Zwettl, Zisterzienserstift

sistebat. Sic enim spiritus sanctus in persona eiusdem matris et genitricis domini dicit: In me gratia omnis vie et veritatis, in me omnis spes vite et virtutis. Si ergo gratia plena erat, et quam angelico salutaret affatu, sicut nuncius ille celestis Gabriel attestatur dicens: Ave Maria gratia plena dominus tecum, benedicta tu in mulieribus, quid tu illam conceptam vel eius conceptionem qua est ipsa concepta plenitudine gratie exinanire conaris? Testimonium tibi perhibeo quod zelum dei habes, sed non secundum scientiam. Si enim ei aliqua in parte vel aliquo in tempore gratiam subtrahas, sicut facis dicens eius conceptionem fore non sanctam, quam gratie plenitudo Marie comprobat sanctam, aut te mendacium arguit, aut nuncius ille baiulus veritatis erit, ne mendax spiritus comperietur, quod sanctissimam virginem plenam gratie cum non esset salutavit dicens: Ave gratia plena. Quod si verum est quod archangelus loquitur, fatentur enim quod quicquid in beata virgine sanctimonie fuit, totum ex gratia manavit altissimi, falsus invenieris et contra christianam pietatem dixisse eam in conceptione non esse sanctificatam quam ex gratia omni a contagione originalis actualisve culpe mundavit.

Amplius autem. Dicit Iacob patriarcha loquens in spiritu de hac sacratissima virgine: Quam terribilis est locus iste, non est hic aliud nisi domus dei et porta celi. Si non est aliud nisi domus dei, quare tu dicis eam domum tenebrarum propter conceptionem qua concepta est, quam conceptionem per gratiam sanctificavit altissimus? sicut dicit David loquens de ipsa gratia qua Maria plena fuit: Fluminis autem impetus, id est gratia sancti spiritus, letificat civitatem dei, sanctificavit tabernaculum suum altissimus. Sane si sanctificavit eam ab originali piaculo, prius eam in qua concepta erat mundavit. Quamobrem in sanctificio illo ipsa concepta sancta remansit. Ergo et quo ipsa concepta erat sua conceptio sancta remansit. Si ergo conceptio qua Maria concepta est sanctificata remansit, quid tu furioso tantos latratus explicas ore, in iniuriam non solum matris et filii, sed etiam eius qui eam sanctificavit spiritus sancti, dicens beatam virginem Mariam conceptam et ipsam conceptionem fore non sanctam, nec sollempnio dignam? Incendens enim igni presumptionis sanctuarium domini, et intra originalis contagium polluis quantum in te est tabernaculum nominis domini. Quid invides conceptioni qua concepta est mater salvatoris? Sive velis sive nolis et ipsa concepta et eius conceptio sancta est, et omni laude dignissima. Iacob vaticinatus est in spiritu sancto de beata Maria quod terribilis est locus iste mundatus per gratiam, in quo dei filius erat humanandus. Tu faris in spiritu tuo habundans in sensu tuo quam horribilis sit locus iste et per conceptionis reatum squalidus, antique vetustatis caligine perfusus. Sed ve tibi nimium sapienti, qui dicis bonum malum, lucemque convertis in tenebras, bestie que tetigit montem et semper obruende scripturarum lapidibus.

Amplius autem sic. Dicit Iacob ad Ioseph, quasi deus pater loqueretur filio suo: Do tibi unam partem extra fratres tuos quam tuli de manu Amorrei in gladio et arcu meo. Que est ista pars extra fratres Ioseph nisi hec beatissima virgo quam omnipotentis dei fortitudo in gladio et arcu, id est in iusticia verbi sui tulit mundando et sanctificando de manu Amorrei, id est de potestate omnis originalis quam actualis peccati, ut iam non sit intra fines humanitatis quam originaria pestis ante legem et sub lege quassavit. Ecce spiritus sanctus dedit eam extra fratres suos, sed tu contra spiritum domini predicas eam intra fratres suos obnoxiam morti, ob id dumtaxat quia ex mare femineque concepta est. Sed quid respondebis huic spiritui sancto qui eam luce clarius extra fratres suos fore datam commemorat? Aliud nobis evangelium et contrarium tu, aliud nobis predicat spiritus sanctus. Sed quod dicit [illegible] apostolus: Qui aliud ewangelizaverit preter id quod ewangelizatum est anathema sit.

Nunc veni et vide apud regem prophetam David quid de hac sanctissima virgine dicat spiritus sanctus: Homo natus est in ea, ait, et ipse fundavit eam altissimus. Si beata Maria fundata est ab altissimo et nullum fundamentum fuit in ea dicente apostolo nisi ipse Christus, cur detrahis fundamento Christi, immo quare detrahis Christo qui huius est fundamentum, cum dicis eam conceptam atque conceptionem esse non sanctam? Et si ipsa sanctissima virgo communem generis humani iacturam a parentibus traxit, illa tamen presidii specialem qua plena extitit gratiam prorsus evasit, ut iam illi concepte vel sue conceptioni mortis vetuste non imputetur cyrographum, quia dominus altissimus qui eam fundavit illam et conceptam et suam conceptionem mundavit et sanctificavit per spiritum sanctum. Igitur et ipsa concepta et eius conceptio quia digna est, digna laudibus, digna sollempnio est.

Item dicit David: Sanctificavit tabernaculum suum altissimus. Deus in medio eius non commovebitur. Si verum est, immo quia verum est quod altissimus sanctificavit illud tabernaculum, scilicet corpus et animam beate Marie, sicut fulgenti ait, quomodo veri simile est quod ea que beatissime virginis corporis erant, id est conceptio et nativitas eius, non sanctificaverit?

Deus in medio eius, id est in medio Marie, non commovebitur. Deus in medio eius non commovebitur. Hoc est illud quod dicit archangelus ad eandem gloriosam virginem: Dominus tecum. Dominus tecum ait magister Hugo ille magnus